

# MISSAE PROPRIAE PRO ARCHIDIOECESI BONONIEN.

## FESTA DECEMBRIS

Die 4 Decembris

### S. FELICIS EP. ET CONFESS.

*Missae Statuit de communi Conf. Pont. I loco cum commemoratione Ferie ac S. Barbarae Virg. et Mart. ut in Missali sub hac die.*

*In Metropolitana dicitur Credo.*

*De S. Petro Chrysologo Ep. Conf. et Eccl. Doct. Missa legitur die sequenti.*

Die 10 Decembris

IN TRANSLATIONE

### ALMÆ DOMUS B. MARIE V.

*Ut in Appendice Missalis Romani.*

Die 17 Decembris

### S. FLORIANI MARTYRIS

*Missae In virtute pro Martyre non Pontifice, III loco.*

## FESTA JANUARIII

Die 4 Januarii

### Ss. HERMETIS, AGGAEI ET CAJI MARTYRUM.

*Missae Sapientiam de communi plurim. Martyrum, II loco, cum commemor. Octa-*

*vae Ss. Innocentium Mm. ut in Missali, die 28 decembris, et Praef. de Nativitate.*

Die 24 Januarii

### S. ZAMÆ EP. ET CONFESS.

*Missae Statuit de communi Confessoris Pontificis I loco, cum commemoratione S. Timothei Ep. et Mart. ex Mis. Statuit de comm. unius Martyris, I loco.*

*In Metropolitana dicitur Credo.*

## FESTA FEBRUARII

Die 6 Februarii

### S. GUARINI EP. ET CONFESS.

*Missae Statuit de communi Confessoris Pontificis, I loco, praeter Orationes sequentes.*

*Oratio.*

**D**A, quaesumus, omnipotens Deus: ut beati Guarini Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum.

*Et fit Commemoratio S. Titi Ep. et Conf. et postea S. Dorothaeae Virg. et Mart. ut in Missali sub hac die.*

**S**USCIPE, quaesumus, Domine, hoc sacrificium populi tui: ut, quod in honore beati Guarini Confessoris tui atque Pontificis offertur ad gloriam, nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

*Postcommunio.*

**Q**UAESUMUS, omnipotens Deus; ut ejus nos tribuis communicare memoriam, ejus facias sectatores. Per Dominum.

Die 7 Februarii  
**SANCTÆ JULIANÆ VIDUÆ**

*Missa Cognovi de communi non Virginum, II loco, cum commemoratione S. Romualdi Abb. (orat. ex Missa Os justi de communi Abbatum).*

Die 26 Februarii  
**S. FAUSTINIANI EP. ET CONF.**

*Missa Statuit de communi Confessoris Pontificis, I loco.  
In Metropolitana dicitur Credo.*

**FESTA MARTII**

Die 9 Martii  
**S. CATHARINÆ DE VIRGIRIS**  
VIRGINIS

*Introitus Ps. 44, 13, 15, 16*

**V**ULTUM tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducentur Regi virgines post eam; proximæ ejus adducentur tibi in lætitia et exultatione.

*Ps. ibid. 1.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. *V.* Gloria Patri.

**C**ONCEDE nos famulos tuos, Deus, beatæ Catharinæ virginis suffragiis adjuvari; ejus odore unguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum.

*Et fit Commemoratio S. Franciscæ Romanæ Viduæ.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatam Franciscam famulam tuam inter cetera gratiæ tuæ dona, familiari Angeli consuetudine decorasti: concede, quaesumus; ut intercessionis ejus auxilio, Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

*In Quadragesima fit etiam commemoratio Ferie.*

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

*I. Cor. 7, 25-34*

**F**RATRES: De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem. Si autem accéperis uxorem, non peccasti. Et si nûpserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et

qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: in Christo Jesu Domino nostro.

*Graduale. Ps. 44, 12.* Concupivit Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.

*Ibid., 11. V.* Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam.

*Tractus. Ps. 44.* Quia concupivit Rex speciem tuam. V. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiae regum in honore tuo.

V. *Ibid. 15, 16.* Adducentur Regi virgines post eam: proximae ejus afferentur tibi. V. Afferentur in laetitia et exultatione; adducentur in templum Regis.

*Per annum, omissio Tractu, ejus loco dicitur:*

Alleluja, alleluja. V. Haec est virgo sapiens, et una de numero prudentum. Alleluja.

*Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:*

Alleluja, alleluja. V. Haec est virgo sapiens, et una de numero prudentum. Alleluja.

V. *Sap. 4. 1.* O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii  
secundum Matthaeum.

*Matth. 25, 1-13.*

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus: quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes: sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostrae exstinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

*In Ecclesia propria, et in qua Corpus asservatur, dicitur Credo.*

*Offertorium. Ps. 44.* Afferentur Regi virgines post eam: proximae ejus afferentur tibi in laetitia, et

**exsultatione: adducentur in templum Regi Domino.**

*Secreta.*

**I**LLO nos igne in hoc sacrificio offerendo, fac, quaesumus, Domine, vehementer incendi: quo beata Catharina Virgo se ipsam tibi offerebat jugiter famulari. Per Dominum nostrum.

*Pro S. Francisca Romana*

*Secreta.*

**A**CCEPTA tibi sit, Domine, sacrae plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percipisse cognoscit auxilium. Per Dominum nostrum.

*In Quadrag. fit Commemor. Feriae, de qua etiam dicitur Praefatio.*

*Communio. Matth. 13.* Simile est regnum caelorum homini negotiatori, quaerenti bonas margaritas: inventa autem una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam.

*Postcommunio.*

**M**AJESTATEM tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut beatae Catharinae Virginis corpus incorruptum servasti, ita nos facias per haec sancta quae sumpsimus, ab omni culparum labe servari. Per Dominum.

*Pro S. Francisca Romana.*

*Postcommunio.*

**S**ATIASTI, Domine, familiam tuam muneribus sacris: ejus, quaesumus, semper interventione nos réfove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum.

*In Quadagesima fit Commemoratio Feriae, de qua etiam legitur Evangelium in fine Missae.*

Die 31 Martii

**B. MARCI FANTUZZI CONF.**

*Missae Os justi de communi Confessoris non Pontificis, I loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beato Marco in praedicatione fidei tuae cursum consummare, et coronam gloriae promereri tribuisti; concede propitius; ut ejusdem fidei amore certantes usque ad mortem, praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum.

**FESTA APRILIS**

Die 16 Aprilis

**B. ARCHANGELI CANETOLI  
CONFESSORIS**

*Missae Os justi de communi Confessoris non Pontificis I loco.*

Die 18 Aprilis

**Ss. TERTULLIANI et JUCUNDI  
EPP. ET CONF.**

*Introitus.*

*Ps. 131, 16-17.*

**S**ACERDOTES Sion induam salutaris, et sancti ejus exsultatione exsultabunt, dicit Dominus: illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Alleluja, alleluja.

*Ps. ibid. 1.* Memento, Domine, David: et omnis mansuetudinis ejus. y. Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**EUS, qui nos beatorum Tertulliani et Jucundi Confessorum tuorum atque Pontificum confessionibus gloriosis circumdas et prótegis: da nobis, et eorum imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos.

*Hebr. 13, 7-17.*

**F**RATRES: Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxítum conversationis imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abdúci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quae non profuérunt ambulántibus in eis. Habemus altare, de quo édere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquírimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiae autem, et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promerétur Deus. Obedite

praepósitis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Alleluja, alleluja. *ꝯ. 2 Paral. 6. 41.* Sacerdotes tui, Domine Deus, induántur salutem, et sancti tui laetentur in bonis. Alleluja.

*ꝯ. Jerem. 31, 14.* Ego Dominus inebriabo animam sacerdotum pinguedine: et populus meus bonis meis adimplébitur. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Marcum.

*Marc. 13, 33-37.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Videte, vigilate, et orate: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque óperis, et janitori praecépit ut vígilet. Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum vénerit repente, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

*Offertorium. Ps. 105, 3.* Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam in omni tempore, alleluja.

*Secreta.*

**M**UNERA nostra, Domine, sacris altáribus offerentes, quaesumus elementiam tuam: ut éadem, suffragantibus beatorum Tertulliani et Jucundi Pontificum meritis, et supremam tibi gloriam operéntur, et ubérrimam

nobis gratiam assequantur. Per Dominum.

*Communio. Marc. 13, 34.* Homo peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori praecepit ut vigilet, alleluja.

*Postcommunio.*

**R**EFLECTIONE sacra nutritus, fac nos omnipotens Deus, vestigiis beatorum Tertulliani et Jucundi Pontificum semper insistere: qui studuerunt perpeti devotione te colere, et indefessa omnibus caritate proficere. Per Dominum.

Die 20 Aprilis

**B. SIMONIS A TUDERTO**  
CONFESSORIS

*Missa Os justi de communi Confessoris non Pontificis I loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**D**OMINE Jesu Christe, verae patientiae exemplar et praemium: praesta; ut sicut beatum Simonem in contemnendis calumniis imitatore tuum gloriosum effecisti, ita nos, per ejus vestigia gradientes, repromissiones tuas consequi valeamus. Qui vivis.

Feria II. infra Hebdomadam II.  
post Octavam Paschae

**B. MARAE VIRG. A SUCCURSU**

*Introitus.*

**G**AUDEAMUS omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatae Mariae Virginis: de

cujus solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. Alleluja, alleluja.

*Ps. 41. 1.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

ꝫ. Gloria Patri.

*Oratio.*

**O**MNIPOTENS, et misericors Deus, qui ad succurrendum humano generi beatam virginem Mariam unigeniti Filii tui Matrem esse voluisti: da nobis, quaesumus; ut, ea intercedente, diabolica vitare contagia, ac sincera tibi mente servire valeamus. Per eundem Dominum.

Lectio libri Sapientiae.

*Ecc. 24, 29-31.*

**E**GO quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei, fructus honoris et honestatis. Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae, et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hereditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.

Alleluja, alleluja.

ꝫ. *Luc. 1. 28.* Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

ÿ. *Prov. 8. 34.* Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Jo. 19. 25-27.*

**I**n illo tempore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cléophae, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. **Credo.**

*Offertorium Jerem. 18, 20.* Recordare, Virgo mater, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis. Alleluja.

*Secreta.*

**T**UA, Domine, propitiatione, et beatæ Virginis et Matris Mariæ intercessione, ad perpetuam atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem et pacem. Per Dominum.

*Praefatio B. M.* Et Te in Festivitate.

*Communio.* Regina mundi dignissima, Maria Virgo perpetua, intercede pro nostra pace et salute, quæ genuisti Christum Dominum Salvatorem omnium. Alleluja.

*Postcommunio.*

**A**DJUVET nos, quaesumus, Domine, Immaculatae Genitricis tuæ semperque Virginis Ma-

riæ intercessio veneranda; ut, quos perpetuis cumulavit beneficiis, a cunctis periculis absolutos, sua faciat pietate concordēs. Qui vivis et regnas.

## FESTA MAJI

Die 10 Maji

**BEATI NICOLAI ALBERGATI**

EPISC. ET CONFESS.

*Missa Sacerdotes tui de communi Conf. Pontif. II loco, cum commemor. S. Antonini Ep. et C., atque Ss. Gordiani et Epimachi Mm. ut in Missali sub hac die.*

Die 11 Maji

**S. THEODORI EP. ET CONF.**

*Missa Statuit de comm. Confessoris Pontificis I loco.*

Die 12 Maji

**B. IMELDÆ LAMBERTINI**

VIRGINIS

*Introitus*

*Psal. 41*

**S**ITIVIT anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus? Alleluja, alleluja.

ÿ. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.

ÿ. Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**OMINE Jesu Christe, qui beatam Virginem Imeldam ignito caritatis amore sauciatam et immaculata hostia mirabiliter reffectam in caelum suscepisti: fac

nos ejus intercessione, eodem caritatis fervore ad Sacram Mensam accédere, ut appetamus dissolvi, et esse tecum mereamur. Qui vivis et regnas.

*Et fit Com. Ss. Nerei et Soc. Mart.*

*Oratio.*

**S**EMPER nos, Domine, Martyrum tuorum Nerei, Achillei, Domitillae, atque Pancratii foveat quaesumus, beata solemnitas: et tuo dignos reddat obsequio. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiae.

*Cant. 3. 2-8. 6.*

**S**URGAM et circuibo civitatem super vicos et plateas, quaeram quem diligit anima mea: quaesivi illum et non inveni. Invenierunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meae et in cubiculum genitricis meae. Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas, cervosque camporum: ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus aemulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae, pro dilectione quasi nihil despiciet eam.

Alleluja, alleluja.

*y. Ave, virginum gemma, Imelda: Ave, sponsa Regis regum gloriosa: Ave, Christi viva hostia. Alleluja.*

*y. Luc. 24. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu: dum nobis loqueretur in via? Alleluja.*



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Joann. 6, 32-38.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Amen, amen, dico vobis: non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitae; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam. Sed dixi vobis, quia et vidistis me et non creditis. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.

*Offertorium Ps. 27. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam. Alleluja.*

*Secreta.*

**S**USCIPE, Domine, munera, quae tibi offerimus, et beatae virginis Imeldae intercedentibus meritis, amoris tui nobis spiritum infunde: ut, terrenis affectionibus despectis, in te nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum nostrum.



*Pro Ss. Nereo et Soc. Mart.**Secreta.*

**S**ANCTORUM Martyrum tuorum, quaesumus Domine, Nerei, Achillei, Domitillae, atque Pancratii sit tibi grata confessio: quae et munera nostra commendet, et tuam nobis indulgentiam semper imploret. Per Dominum.

*Communio. Sap. 6. 2.* Ego dilecto meo et dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia. Alleluja.

*Postcommunio.*

**S**IT nobis, Domine, ad thronum misericordiae tuae pro nobis beata Imelda Virgo indeficiens

exoratrix: ut sicut illa, salutari hostia percepta, ad aeternam gloriam evolavit: ita tanti participatio mysterii sit nobis ablutio scelerum in vita, et in morte via, qua ad vitam perveniamus aeternam. Per Dominum.

*Pro Ss. Nereo et Soc. Mart.**Postcommunio.*

**Q**UAESUMUS, Domine, ut beatorum Martyrum tuorum Nerei, Achillei, Domitillae atque Pancratii deprecationibus, sacramenta sancta, quae sumpsimus, ad tuae nobis proficiant placationis augmentum. Per Dominum nostrum.

## Dominica V post Pascha

# BEATÆ MARIAE VIRGINIS A S. LUCA

PATRONÆ PRINCIPALIS CIVITATIS ET ARCHIDIECESEOS

*Introitus.*

**G**AUDEAMUS omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatae Mariae Virginis: de cujus solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei, alleluja, alleluja.

*Ps. 44. 1.* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

ꝰ. Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**EUS, qui in gloriosa beatae Mariae Virginis intercessionem praeclarum nobis praesidium et decus posuisti: concede

propitius: ut ejus ope et auxilio adjuti in terris, aspectu tuo cum ipsa perfrui mereamur in caelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

*Et fit Commemoratio Dominicae V post Pascha.*

*Oratio.*

**D**EUS, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis: ut cogitemus, te inspirante, quae recta sunt; et, te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum nostrum.

## Lectio libri Judith.

13, 22, 23, 31.

**B**ENEDIXIT te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redégit inimicos nostros. Benedicta es tu Filia a Domino Deo excelso, prae omnibus mulieribus super terram. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quae audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israël.

Alleluja, alleluja.

ŷ. *Luc. 1.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Alleluja.

ŷ. *Ibid.* Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Alleluja.

*Per annum, quando Missa dicatur ut votiva, dicitur sequens:*

*Graduale. Eccli 15.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, et gloria honoris et opus fortitudinis.

ŷ. Tibi gloria, hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summae laudis, et honoris corona.

Alleluja, alleluja.

ŷ. *Luc. 1.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Alleluja.

*Post Septuagesimam omissis Alleluja et ŷ seq. dicitur:*

*Tractus. Prov. 8. 17. 20. 21.* Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me, invenient me.

ŷ. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii.

ŷ. Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.



## Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

1, 39, 48.

**I**N illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariae et salutavit Elisabeth. Et factum est ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

*Credo. Per totam Octavam.*

*Offertorium.* Felix namque es, sacra virgo Maria, et omni laude dignissima; quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster, alleluja.

*Secreta.*

**S**UBVENIAT nobis, Domine Jesu Christe, sancta Maria Dei Genitrix tua, quae te potenter exoret, ut effundas super nos misericordiam tuam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus.

*Pro Dominica v. post Pascha  
Secreta.*

**S**USCIPE, Domine, fidelium preces cum oblationibus hostiarum: ut per haec pia devotionis officia, ad caelestem gloriam transeamus. Per Dominum nostrum.

*Praefatio B. M. Et Te in festi-  
vitate.*

*Communio.* Beata viscera Mariae virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium. Alleluja.

*Postcommunio.*

**C**IBO refecti salutari, tibi gratias agimus, clementissime Deus, qui, intercedente pro nobis Virgine Matre tua, misericordiae tuae thesauros reserasti. Qui vis et regnas cum Deo Patre.

*Pro Dominica v. post Pascha  
Postcommunio.*

**T**RIBUE nobis, Domine, caelestis mensae virtute satiatis: et desiderare quae recta sunt, et desiderata percipere. Per Dominum nostrum.

*Pro Evangelio Dominicae.*



Sequentia sancti Evangelii  
secundum Joannem.

*Joann. 16, 23-30.*

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Haec in proverbii locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.

In illo die in nomine meo petetis: et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget: in hoc credimus, quia a Deo existi.

---

Fer. II infra octavam Ascensionis  
**TRANSLATIO CAPITIS S. PETRONII**  
EP. CONF.

*Missa ut in die 4 Octobris, cum prima  
Oratione propria ibidem assignata, addita  
commemoratione Octavae Ascensionis, Al-  
leluja, et Graduali pro tempore paschali.*

---

## FESTA JUNII

Die 1 Junii

**S. PROCULI MARTYRIS**

*Missa In virtute, de communi unius  
Martyris, III loco. Si vero hoc festum ve-  
nerit tempore paschali Missa Protexisti  
I loco, cum orationibus tertio loco positis.*

---

Die 10 Junii

**BEATARUM DIANÆ CÆCILLÆ  
ET AMATÆ VIRGINUM**

*Introitus*

*Ps. 148. 12-14.*

**V**IRGINES laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius: confessio ejus super caelum et terram. (*T. p.*) Alleluja, Alleluja.

*Ps. ibid., 1.* Laudate Dominum de caelis: laudate eum in excelsis. *ŷ.* Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatam Dianam virginem tuam admirabili spiritus fortitudine donasti, eique in terenda evangelicae perfectionis via beatas Caeciliam et Amatam comites dedisti: concede propitius ut earum exemplo roboremur in arduis, et in adversis protegamur auxilio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

*Et fit Commemor. S. Margaritae Reg.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatam Margaritam Reginam eximia in pauperes caritate mirabilem effecisti: da, ut ejus intercessione et exemplo, tua in cordibus nostris caritas jugiter augeatur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

*1 Cor. 7, 25-34.*

**F**RATRES: De virginibus praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quaerere uxorem. Si autem accéperis uxorem, non peccasti. Et si núpserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis

habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint: et qui flent, tanquam non flentes: et qui gaudent, tanquam non gaudentes: et qui emunt, tanquam non possidentes: et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; praéterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo, cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: in Christo Jesu Domino nostro.

*Graduale. Ps. 41, 3, 10.* Speciosus forma prae filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis. *ŷ.* Filiae regum in honore tuo: ástitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circúmdata varietate. Alleluja, alleluja.

*ŷ. Sap. 4, 1.* O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius. Alleluja.

*Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur:*

Alleluja, alleluja. *Sap. 4, 1.* *ŷ.* O quam pulchra est casta generatio cum claritate; immortalis est enim memoria illius. Alleluja. *ŷ. Isai. 56, 5.* Ego Dominus dabo eis nomen melius a filiis et filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii  
secundum Matthaeum.

*Matth. 25, 1-13*

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes: sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et, quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias et clausa est janua. Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque quia nescitis diem, neque horam.

*Offertorium. Ps. 33. 6. Accedite ad Dominum et illuminamini: et facies vestrae non confundentur. (T. p.) Alleluja.*

*Secrêta.*

**Q**UÆSUMUS, omnipotens Deus, ut, quod tibi in honorem beatarum Virginum Dianae ac sociarum ejus Caeciliae et Amatae offerimus sacrificium, ipsis intercedentibus, ad salutem nobis provenire concedas. Per Dominum nostrum.

*Pro S. Margarita.*

*Secrêta.*

**A**CCEPTA tibi sit, Domine, sacratae plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum: quorum se meritis de tribulatione percepisse cognoscit auxilium. Per Dominum.

*Communio. Matth. 25, 10. Venit Sponsus: et virgines, quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. (T. p.) Alleluja.*

*Postcommunio.*

**P**ERCEPTA sacramenta, clementissime Jesu, augeant in nobis tuae dilectionis effectum, ut cum beatis virginibus Diana, Caecilia et Amata despicientes terrena, ad tuum caeleste consortium jugiter aspiremus. Qui vivis et regnas.

*Pro S. Margarita.*

*Postcommunio.*

**S**ATIASTI, Domine, familiam tuam muneribus sacris: ejus quaesumus, semper interventione nos réfove; cujus solemnia celebramus. Per Dominum nostrum.

Die 15 Junii

S. PARISI CONFESSORIS

*Missa Os justi de communi Confessoris non Pontificis I loco, cum commemoratione*

*Ss. Viti, Modesti atque Crescentiae Martyrum, ut in Missali sub hac die.*

## FESTA JULII

Die 3 Julii

**B. BERNARDINI REALINO**

CONFESSORIS

*Introitus. Eccli., 45, 1 2 et 4.*

**D**ILECTUS Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum.

*Ps. 99, 2.* Jubilate Deo, omnis terra: servite Domino in laetitia. Introite in conspectu ejus in exultatione. *ꝫ.* Gloria Patri.

*Oratio.*

**L**ARGIRE nobis, Domine, beato Bernardino intercedente, spiritum demissionis et caritatis: quo eum divinitus repletum benignitatis tuae ministrum exitium effecisti. Per Dominum.

*Et fit Commemoratio S. Leonis II Papae et Conf.:*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coaequasti: concede propitius; ut, qui commemorationis ejus festa percolimus, vitae quoque imitemur exempla.

*Deinde Commemoratio Octavae Ss. Petri et Pauli App.:*

*Oratio.*

**D**EUS, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti: da Ecclesiae tuae, eorum in omnibus sequi praeceptum; per quos

religionis sumpsit exordium Per Dominum.


Lectio Epistolae beati Joannis Apostoli.

*1 Joann. 2. 1-6 et 4-10.*

**F**ILIOLI mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta est: et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

*Graduale. Ps. 118, 76 et 77.* Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo. *ꝫ.* Veniant mihi miserationes tuae, et vivam.

Alleluja, alleluja. *ꝫ. Ps. ibid. 88.* Secundum misericordiam tuam vivifica me: et custodiam testimonia oris tui. Alleluja.

 Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

*Matth. 11, 15-20.*

**I**N illo tempore: Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae,

quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea párvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

*Credo, ratione Octavae.*

*Offertorium. Ps. 33, 9 et 19.* Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit, alleluja.

*Secreta.*

**M**UNERA, quae tibi offerimus, Domine Deus, beati Bernardini commemoratione laetantes: a nobis, quaesumus, benigne suscipere digneris, sicut olim de manibus ejus suscepisti. Per Dominum.

*Pro S. Leone.*

*Secreta.*

**A**NNUE nobis, quaesumus, Domine, ut intercessionem beati Leonis haec nobis prosit oblatio: quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta.

*Pro Octava Ss. App.*

*Secreta.*

**H**OSTIAS, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio: per

quam nos expiari tribuas et defendi. Per Dominum.

*Communio. Gal. 2, 20.* Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus. In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

*Postcommunio.*

**M**ENSAR tuarum participatione refecti, Domine Jesu Christe, te supplices exoramus: ut, beati Bernardini precibus et meritis, tecum caritate conjuncti sine intermissione maneamus: Qui vivis et regnas.

*Pro S. Leone.*

*Postcommunio.*

**D**EUS, qui animae famuli tui Leonis aeternae beatitudinis praemia contulisti: concede propitius; ut, qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur.

*Pro Octava Ss. App.*

*Postcommunio.*

**Q**UOS caelesti, Domine, alimento satiasti: apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per Dominum nostrum.

Die 4 Julii

IN COMMEMORATIONE OMNIUM  
Ss. SUMMORUM PONTIFICUM

*Ut in appendice Missalis Romani pro aliquibus locis.*

Die 12 Julii

S. PATERNIANI EP. ET CONF.

*Missae Statuit de communi Conf. Pont. I loco, cum commemor. S. Joannis Gualberti Abb. (orat. ex Missa Os justi pro Abb.) et Ss. Naboris et Felicis Mart. ut in Missali sub hac die.*



## FESTA AUGUSTI

Die 4 Augusti

### SANCTI DOMINICI CONFESSORIS

*Introitus.*

*Eccli., 15, 5.*

**I**N medio Ecclesiae apéruit os  
ejus: et implévit eum Domi-  
nus spiritu sapientiae et intelle-  
ctus: stolam gloriae induit eum.

Ÿ. Jucunditatem et exsultatio-  
nem thesaurizavit super eum.

Ÿ. Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**EUS, qui Ecclesiam tuam bea-  
ti Dominici Confessoris tui  
illuminare dignatus es meritis et  
doctrinis: concede; ut ejus inter-  
cessione temporalibus non desti-  
tuatur auxiliis, et spiritualibus  
semper proficiat incrementis. Per  
Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apo-  
stoli ad Timotheum.

*2 Tim. 4, 18.*

**C**ARISSIME: Testificor coram  
Deo, et Jesu Christo, qui ju-  
dicaturus est vivos et mortuos, per  
adventum ipsius, et regnum ejus:  
praedica verbum, insta opportu-  
ne, importune: argue, obsecra, ín-  
crepa in omni patientia, et doctri-  
na. Erat enim tempus, cum sa-  
nam doctrinam non sustinebunt,  
sed ad sua desideria coacervabunt  
sibi magistros, prurientes auri-  
bus, et a veritate quidem audi-  
tum avertent, ad fabulas autem  
convertentur. Tu vero vígila, in  
omnibus labora, opus fac Evange-  
listae, ministerium tuum imple.  
Sobrius esto. Ego enim jam deli-  
bor, et tempus resolutionis meae

instat. Bonum certamen certavi,  
cursum consummavi, fidem ser-  
vavi. In réliquo reposita est mihi  
corona justitiae, quam reddet mi-  
hi Dominus in illa die, justus  
judex: non solum autem mihi,  
sed et iis, qui diligunt adventum  
ejus.

*Graduale. Ps. 36, 30-31.* Os justi  
meditábitur sapientiam, et lingua  
ejus loquetur judicium. Ÿ. Lex  
Dei ejus in corde ipsius: et non  
supplantabuntur gressus ejus.

Alleluja, alleluja.

Ÿ. Pie Pater Dominice, tuorum  
memor óperum, sta coram summo  
Judice pro tuo coetu pauperum.  
Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii  
secundum Lucam.

*Luc. 12, 15-30.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus di-  
scipulis suis: Sint lumbi vestri  
praecincti, et lucernae ardentes  
in manibus vestris, et vos similes  
hominibus expectantibus domi-  
num suum, quando revertatur a  
nuptiis: ut, cum vénerit et pul-  
sáverit confestim apérianit ei.  
Beati servi illi, quos, cum vénerit  
dominus, invénerit vigilantes:  
amen dico vobis, quod praecinget  
se, et faciet illos discumbere, et  
transiens ministrabit illis. Et si  
vénerit in secunda vigilia, et si  
in tertia vigilia vénerit, et ita  
invénerit, beati sunt servi illi.  
Hoc autem scitote, quoniam si  
sciret pater familias, qua hora  
fur veníret, vigiláret utique, et  
non síneret pérfodi domum suam.  
Et vos estote parati, quia qua



hora non putatis, Filius hominis veniet.

*Offertorium. Ps. 20.* Desiderium animae ejus tribuisti ei, Domine, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

*Secreta.*

**M**UNERA tibi, Domine, dicata sanctifica: ut, meritis beati Domínici Confessoris tui nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

*Communio. Luc. 12, 42.* Fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore trítici mensuram.

*Postcommunio.*

**C**ONCEDE, quaesumus, omnipotens Deus: ut, qui peccatorum nostrorum póndere préimur, beati Domínici Confessoris tui patrocínio sublevémur. Per Dominum.

**Die 11 Augusti  
S. EMIGDII EP. ET MART.**

*Ut in appendice Missalis Romani, pro aliquibus locis, sub die 9 Augusti, cum commemoratione Ss. Tiburtii et Susannae Virg. Martyrum, ut in Missali sub hac die.*

**Die 30 Augusti  
S. BONONII ABBATIS**

*Missa Os justi de communi Abbatum cum commemoratione S. Rosae Limanae Virg. et Ss. Felicis et Adaucti Mart. ut in Missali sub hac die.*

**FESTA SEPTEMBRIS**

**Die 4 Septembris  
S. ROSALÆ PANORM. VIRG.**

*Missa Dilexisti de communi Virg. III loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**E**XAUDI nos, Deus salutaris noster; ut sicut de beatae Rosalæ Virginis tuae festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu: et ejus intercessione ab iracundiae tuae flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum nostrum.

**Die 17 Septembris  
S. PETRI DE ARBUES MART.**

*Missa In virtute de Communi unius Martyris III loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**P**RÆSTA, quaesumus, omnipotens Deus: ut beati Petri Martyris tui fidem congrua devotione sectemur, qui pro ejusdem fidei defensione martyrii palmam meruit obtinere. Per Dominum nostrum.

*Et fit commem. Impressionis Stigmatum S. Francisci Confessoris ut in Missali sub hac die.*

**Die 23 Septembris  
B. HELENÆ DUGLIOLI DALL'OLIO  
VIDUAE**

*Missa Cognovi de communi non Virginum, III loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatam Helenam ad amorem tuum dispensatione admirabili transtulisti; tribue no-

bis, quaesumus: ut ejus meritis et intercessione, a pravis cupiditatibus expediti, quae tibi sunt placita, liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

*Et fit commemoratio S. Lini Pp. M. et S. Theclae V. M. ut in Missali sub hac die.*

Die 26 Septembris

S. EUSEBII EP. ET CONFESS.

*Missa Statuit de communi Confessoris Pontificis I loco.*

*Et fit commemoratio Ss. Cypriani et Justinæ Mm. ut in Missali sub hac die.*

Die 4 Octobris

S. PETRONII EPISCOPI ET CONFESSORIS

PATRONI PRINCIPALIS CIVITATIS ET ARCHIDIECESEOS

*Introitus.*

*Lucæ, 4, 16.*

**S**PIBITUS Domini super me: evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde; praedicare annum Domini acceptum et diem retributionis.

*Ps. 40.* Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.

✠ Gloria Patri.

*Oratio.*

**O**MNIPOTENS sempiternæ Deus, solemnitatem hujus diei propitius intuerè: et ecclesiam tuam, intercessione beati Petronii Confessoris tui atque Pontificis, perpetua fac celebritate gaudere. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Sapientiae.

*Ecc. 50.*

**E**CCE sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum et in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex aedifi-

catio, et excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum et quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam et liberavit eam a perditione. Qui prevaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: et ingressum domus et atrii amplificavit. Quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi thus, rédolens in diebus aestatis; quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, quasi oliva púllulans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriae, et vestiri eum in consumptionem virtutis. Circa illum corona fratrum: quasi plantatio

cedri in monte Libano. Sic circa illum steterunt quasi rami palmae, et omnes filii Aaron in gloria sua.

*Graduale. Eccli. 48. 10-11.* Scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, et conciliare cor patris ad filium et restituere tribus Jacob. *ŷ.* Beati qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt.

Alleluja, alleluja, *ŷ.* Surrexit Petronius, vir Dei, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Alleluja.

*Post Septuagesimam, omissis Alleluja, et ŷ sequenti, dicitur:*

*Tractus. Gen. 12, 1.* Egrédere de terra tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.

*ŷ.* Reliqui domum meam et dimisi hereditatem meam. *ŷ.* Quia mihi bonum est adhaerere Deo, pónere in Domino Deo spem meam.

*Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:*

Alleluja, alleluja.

*ŷ.* Surrexit Petronius, vir Dei, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Alleluja.

*ŷ. Eccli. 13.* In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

*Joann. 10, 11-16.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus Phariseis: Ego sum pastor bonus, Bonus pastor animam suam

dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves: mercenarius autem fugit quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus: et cognosco meas, et cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem: et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

*Credo. Et dicitur per totam Octavam.*

*Offertorium. Judith. 15. 11.* Quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, ideo et manus Domini confortavit te, et eris benedictus in aeternum.

*Secreta.*

**H**UJUS, Domine, sacrificii munus tua petimus manu contingi, quod beati Petronii Confessoris tui atque Pontificis festivitatem offerimus exsultantes. Per Dominum nostrum.

*Communio. Job. 29, 13.* Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduae consolatus sum: oculus fui caeco et pes claudus: pater eram pauperum.

*Postcommunio.*

**B**EATI Confessoris tui atque Pontificis Petronii, Domine, gaudia votiva celebrantes: da, quaesumus, ut per haec sancta,

quae sumpsimus, misericordiae tuae auribus ipse commendet. Per Dominum nostrum.

¶ FERIA II INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS — IN FESTO TRANSLATIONIS CAPITIS EJUSDEM SANCTI PETRONII EP. ET CONF.

*Missa dicitur ut supra, cum Alleluja et Graduali pro tempore paschali, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**D**EUS, cujus nutu per diversa loca ipsa quoque Sanctorum corpora disponuntur: tribue, quaesumus, ut qui beati Petronii, Confessoris tui atque Pontificis Translationem colimus, ipsi etiam a pravitate nostra ad pie vivendi rectitudinem transferamur. Per Dominum nostrum.

¶ SI HAEC MISSA INFRA ANNUM DICITUR UT VOTIVA, omissis Gloria et Credo, prima oratio erit sequens.

*Oratio.*

**E**XSULTET, Domine, populus tuus in sancti Petronii Confessoris tui atque Pontificis commemoratione, ut, cujus votivo laetatur officio, relevetur auxilio. Per Dominum nostrum.

*In Oratione Secreta mutatur Festivitate in Commemoratione.*

Die 12 Octobris

**B. JACOBI AB ULMA**

CONFESSORIS

*Missa Os justi de communi Confessoris non Pontificis I loco, praeter orationes sequentes.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatum Jacobum Confessorem tuum humilitatis et obedientiae virtute mira-

biliter decorasti, ejus intercessione, fac nos terrena despiciere, et mandatis tuis jugiter inhaerere. Per Dominum.

*Secreta.*

**O**BLATIS, Domine, placare muneribus, et beati Jacobi Confessoris tui intercessione concede, ut caelestia dona digne suscipientes promissa humilibus praemia consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

*Postcommunio.*

**P**ANIS angelorum, quo facis nos esse participes, Domine, supplices exoramus, ut per beati Jacobi merita sit nobis salutis aeternae indeficiens spes, ac segura fruitio. Per Dominum.

Die 21 Octobris

**Ss. URSULÆ ET SOCIARUM**

VIRGINUM ET MARTYRUM

*Introitus.*

*Ps. 17, 31.*

**D**EUS meus, impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

*Ps. ibid., 2, 3.* Diligam te Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

ŷ. Gloria Patri.

*Oratio.*

**D**A nobis, quaesumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulae et Sociarum ejus palmam incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente non pos-

sumus celebrare, humilibus salutem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

*Et fit Commemoratio S. Hilarionis Abb.  
Oratio.*

**I**NTERCESSIO nos, quaesumus Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet; ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocínio assequamur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

*2 Cor. 4 6-11 et 16-17.*

**F**RATRES: Deus illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Propter quod non deficimus; sed, licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.

*Graduale. Ps. 43. 8, 9.* Salvasti enim nos, Deus, de affligentibus nos, et odientes nos confundisti.

ŷ. In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in saeculum.

Alleluja, alleluja.

ŷ. *Apoc. 12, 11.* Vicerunt draconem propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui. Alleluja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

*Matth. 25, 1-13.*

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes: sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Novissime vero veniunt et

reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

*Offertorium. Ps. 88, 16, 17.*  
Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.

*Secreta.*

**I**NTENDE, quaesumus, Domine, munera altaribus tuis pro beatarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulae et Sociarum ejus honore proposita: ut, sicut per haec sacra mysteria illis gloriam contulisti, ita nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

*Pro S. Hilarione.*

*Secreta.*

**S**ACRIS altaribus, Domine, hostias superpositas, sanctus Hilarion Abbas quaesumus, in salutem nobis provenire deponat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

*Communio. Matth. 25, 4, 6.* Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus; media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei.

*Postcommunio*

**P**RAESTA nobis, quaesumus, Domine intercedentibus sanctis Virginibus et Martyribus tuis Ursula et Sociis ejus: ut, quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

*Pro S. Hilarione.*

*Postcommunio.*

**P**ROTEGAT nos, Domine, cum tu perceptione sacramenti beatus Hilarion Abbas, pro nobis intercedendo, ut et conversationis ejus experiamur insignia, et intercessionis percipiamus suffragia. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

## FESTA NOVEMBRIS

Die 4 Novembris

**Ss. VITALIS ET AGRICOLÆ**

MARTYRUM

*Missa Sapientiam ut in Missali sub hac die.*

*De S. Carolo Ep. et Conf. fit die sequenti.*

Die 6 Novembris

**SACRARUM RELIQUIARUM**

QUAE IN ECCLESIIS ARCHIDIOECESIOS ASSERVANTUR

*Ut in Appendice Missalis Romani, pro aliquibus, locis, sub die 5 Novembris.*

Die 7 Novembris

**B. LUCIÆ A SEPTEM FONTIBUS**

VIRGINIS

*Missa Dilexisti de communi Virginum III loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beatam Lúciam singulari castitatis praerogativa decorasti: concede nobis famulis tuis, ut ejus intercedentibus meritis, ab omni inquinamento carnis et spiritus semper liberi conservemur. Per Dominum.

*Et fit commemoratio Octavae Omnium Sanctorum et dicitur Credo ratione ejusdem Octavae.*

Die 17 Novembris

**B. LUDOVICI MORBIOLI**  
CONFESSORIS

*Missa Os justi de communi Confessoris non Pontificis I loco, praeter orationem sequentem.*

*Oratio.*

**D**EUS, qui beato Ludovico misericordiae tuae divitias ostendisti: concede propitius; ut sicut ille vitiorum suorum, te donante, laqueos fregit, ita nos, eo intercedente, per gratiam tuam a peccatorum nexibus liberemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Die 26 Novembris

**S. LEONARDI A PORTU MAURITIO**  
CONFESSORIS

*Missa propria Dominus implebit, ut in Appendice Missalis Romani, pro aliquibus locis, die ipsa assignata.*

Die 27 Novembris

**S. SILVESTRI ABBATIS**

*Missa Os justi de communi Abbatum, praeter orationes sequentes.*

*Oratio.*

**C**LEMENTISSIME Deus, qui sanctum Silvestrum Abbatem saeculi hujus vanitatem ad eremum vocare, et praeclaris vitae meritis decorare dignatus es: te supplices exoramus; ut ejus exemplo terrena despicientes, tui consortio perfruamur aeterno. Per Dominum.

*Secreta.*

**Q**UAESUMUS, Domine, ut dum haec munera divinae majestati tuae reverenter offerimus; pia mentis praeparatione et cordis puritate, beati Silvestri Abbatis imitatores effecti, corpus et sanguinem Filii tui sancte percipere mereamur. Per Dominum.

*Postcommunio.*

**D**IVINA dape reffectis tribue, quaesumus Domine, sancti Silvestri Abbatis vestigiis ita inhaerere; ut copiosam mercedem in regno gloriae tuae cum sanctis habeamus. Per Dominum.

# INDEX SANCTORUM

## I - Missae in honorem B. M. V.

A S. Luca, dom. V post Pascha.	<i>fol.</i> 9
A Succursu, fer. II infra hebd. II post Octavam Paschae . . . »	6
Domus Almae Translatio, 10 decembris . . . . . »	1

## II - Missae in honorem Sanctorum

Archangeli Canetoli Confessoris, 16 aprilis . . . . .	<i>fol.</i> 4
Bernardini Realino, Conf. 3 julii . . . »	14
Bononii Abb., 30 augusti . . . . . »	17
Catharinae Virg., 9 martii . . . . . »	2
Dianae, Caeciliae et Amatae Virg., 10 junii . . . . . »	11
Dominici Conf., 4 augusti . . . . . »	16
Emigdii Ep. Mart. 11 augusti . . . »	17
Eusebii Ep. Conf. 26 septembris . . . »	14
Faustiniani Ep. Conf. 26 febr. . . . »	2
Felicis Ep. Conf., 4 decembris . . . »	1
Floriani Mart., 17 decembris . . . . »	1
Guarini Ep. Conf. 6 februarii . . . »	1
Helenaе Duglioli Dall'Olio, vid., 23 septembris . . . . . »	17
Hermetis, Aggaei et Caji Mart. 4 januarii . . . . . »	1
Imeldae Lambertini V., 12 maji . . . »	7
Jacobi ad Ulma C., 12 octobris . . . »	20
Jucundi et Tertulliani Ep. Cc. 18 aprilis . . . . . »	4
Julianae Viduae, 7 februarii . . . »	2

Leonardi a Portu Mauritio Conf., 26 novembris . . . . .	<i>fol.</i> 23
Luciae a Septem Fontibus Virg., 7 novembris . . . . . »	22
Ludovici Morbioli Conf., 16 novembris . . . . . »	23
Marci Fantuzzi Conf., 31 martii . . . »	4
Nicolai Albergati Ep. C., 10 maji . . . »	7
Parisi Conf., 15 junii . . . . . »	15
Paterniani Ep. Conf., 12 julii . . . »	15
Petri de Arbues Mart., 17 septembris . . . . . »	17
Petronii Ep. Conf., 4 octobris . . . »	18
Translatio Capitis, fer. II infra Oct. Ascensionis . . . . . »	11
Pontificum Summorum S. R. E., 4 julii . . . . . »	15
Proculi Mart., 1 junii . . . . . »	11
Reliquiarum Sacrarum, 6 novembris . . . . . »	22
Rosaliae Panorm. Virg., 4 septembris . . . . . »	17
Silvestris Abbatis, 27 novembris . . . »	23
Simonis a Tuderto Conf., 20 aprilis . . . »	6
Tertulliani et Jucundi Ep. Conf., 18 aprilis . . . . . »	4
Theodori Ep. Conf., 11 maji . . . . . »	7
Ursulae et Sociarum Virg. Mart., 21 octobris . . . . . »	20
Vitalis et Agricolae Mart., 4 novembris . . . . . »	22
Zamae Ep. Conf., 24 januarii . . . »	1

Bononiae, die 1 Julii 1934

Concordat cum originali

FRIDERICUS GAMBUCCI, Vic. Gen.